DE
REBUS METAPONTINORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE ATQUE CONSENSU
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE OBTINENDOS
SCRIPSIT

GUSTAVUS HOLLANDER
HAMBURGENSIS.

GOTTINGAE
TYPIS EXPRESSIT E. A. HUTH.
MDCCCLI.

Caput I.

T o p o g r a p h i a.

Ager Metapontinus, ἡ Μεταποντικὴ ut dicit Strabo VI. p. 392, versus occidentem excipiebatur ultimis Apennini montibus, qui iidem Lucaniae fines faciebant. Paullatim ibi porriguntur in campum ampliorem, quo illa pars sinus Tarentini includitur, atque distant a mari fere decem milia passuum, quamquam antiquis temporibus pars illius campi ab undis tecta fuisse et aquae sensim demum recessisse videntur; planities longa est viginti quinque milia passuum [1]). Per hunc campum complures amnes rivulique decurrunt in mare, quorum is, qui versus septentrionem e montium vallibus effluit, olim B r a d a n u s appellabatur, hodie Bradano dicitur. Maximus est fluvius totius regionis, oriundus e lacu quodam in mediis montibus sito non ita procul a Venusia et Acherontia (hodie Accrenza),

1) 25 milia angl., Swinburne Reise durch die beiden Sicilien I. p. 338 vers. German.

quem nunc vocant Lago di Pesole. Rapidus, sed limosus, per desolatas fauces in campum fluvius se praecipitat, ibi vero paludibus haustus tarde cursum in mare usque continuat. Fuerunt qui dicerent, nomen eius olim fuisse etiam Metapontum, id quod collegerunt ex Appiani verbis de Octavio: *καὶ συμμίξειν τῷ Ἀντωνίῳ μεταξὺ Μεταποντίου καὶ Τάραντος, μέσον ἔχων ποταμὸν τὸν ἐπώνυμον* [2]), quae verba facillime ad urbem, quam dixit ultimam, trahuntur, ita ut intelligatur Taras ille fluvius in regione Tarentina, quem memorat etiam Paus. 10, 10, 8, nunc quidem mediocris tantum, sed qui istis temporibus, quum illa loca florebant et fluvii in alveis suis coercebantur, satis profundus esse poterat, ut portaret scaphas.

Sequitur meridiem versus Casuentum fluvius, cuius unus Plinius mentionem facit, nunc Basiento sive Basento dictus [3]), octo milia passuum a Bradano distans. Erat quondam fluvius haud mediocris: his quidem temporibus rivi paullo maioris speciem prae se fert, tarde fluens, profundus quidem sed plenus arenis perpetuo formam mutantibus et diffundentibus aquas per campos, ubi putrescunt [4]).

Tertius illius regionis fluvius, de quo tamen viri docti diverse iudicant, Acalandrum est. Memoratur his in locis a solo Plinio (l. l.), quum Strabo VI.

---

2) Antonini: Lucania, laud. a Romanellio Antica topografia istorica del regno di Napoli, I. p. 279. Swinburne l. l. — Appian. Bell. Civ. V, 93 in fine.

3) Ita Swinburne, Dux de Luynes (Métaponte p. 1); Mannertus (IX, 2, p. 231) eum esse vult quem hodie dicant Cavone — Plin. N. H. 3, 11, 15.

4) Swinburne I. p. 343.

p. 429 C. cum inter Heracleam et Thurios constituat. Loquitur Strabo de Alexandro Molosso, qui iratus in Tarentinos communes Italiotarum conventus Heraclea, ubi convenire soliti erant, in Thuriorum agros transferre et locum muniri iussit ad Acalandrum, ubi convenirent Italiotae. Jure hoc loco haeserunt viri docti, et quia, hic Acalandrus si idem fuisset atque ille quem memorat Plinius, monendum esset, Thuriorum agros non esse porrectos trans Heracleam, et quia rex, si locum conventuum magis ad septentrionem, hoc est propius ad Tarentum, transtulisset, contra suum ipsius consilium egisset. Cluverius (Italia ant. p. 1277) pro Acalandro apud Strabonem posuit *Κυλίσταρνον*, qui ostium habet prope Sybarim flumen; alii, quorum in numero est Mannertus (IX, 2. p. 231), arbitrario Plinianum Acalandrum in Thuriorum fines transferunt, ita ut de fluvio illo haud parvo, quem in omnibus, quas inspicere mihi licebat, tabulis geographicis inter Casuentum et Acirim fluvios indicatum inveniebam, nihil dicant; qui tamen fluvius multo maior est et memoratu dignior in tam brevi enumeratione, qualis est Plinii, quam qui ab his viris doctis pro Acalandro habetur vel Rocanello hodiernus vel Calandro. Haud dubie assentiendum est Micalio [5]), qui duos esse amnes eiusdem nominis censet, quorum unus et maior quidem versus septentrionem respondeat hodierno Salandrella, et favet etiam tali sententiae, qui de harum terrarum historia est meri-

---

5) Vide tabulam in opere Viri Cl.: Monuments antiques, Paris 1824.

tissimus, dux de Luynes [6]), qui alterum minorem eum esse putat, quem hodie dicunt Cagliandrino, in agro Thuriorum.

Orientem versus agrum Metapontinum attingebat sinus Tarentinus, formosissimus ille quidem, sed importuosus, ut iam veteres tradunt scriptores [7]). Solum certe Tarentum portum habebat naturalem satisque magnum, Metapontini vero ex parte saltem artem adhibere ad portum sibi parandum coacti sunt, cuius vestigia hodie cernuntur in lacu, quem vocant Lago di Santa Pelagina, ut tradit V. Cl. dux de Luynes, non ita procul a Casuenti ostio sito; sed nunc introitus arenis impletus est.

Campi illi olim fertilissimi erant, imprimis excellebant frumentis, et tritico et hordeo, quod vel eo demonstratur, quod Metapontini spicam in numis excudebant. Praeterea dubitari non potest, quin etiam aliis earum regionum fructibus abundaverit terra Metapontina, velut vino, ficis, nucibus, aliis, neque minus animalibus, ut apibus bobusque, et omnino parte earum rerum, quibus Tarentina terra Metapontinae vicina florebat [8]). Sed qualis hodie est illa regio! Omnia nunc vasta sunt atque desolata, nihil nisi pascua inculta cernuntur, ubi vix uspiam aratri vestigia conspicias, et tamen omnia viriditate luxuriante constrata: fluvii autem, qui olim terram fecundissimam

6) In Nouvelles Ann. de l'Instit. archéol. 1836. I. p. 421.

7) Strabo VI. p. 426. A. Polyb. X, 1. — Swinburne I. p. 346.

8) Cf. quae enumeravit Forbiger Handbuch der alten Geogr. III. p. 527. et de Tarentina regione Lorentz De civitate vet. Tarent. Numburgi 1833. 4. p. 2 sqq.

reddebant, hodie non coerciti aquas supra campos diffundunt et stagnantes pariunt nebulas venenosas, quae pestem necemque per incolas dispergunt [9]).

In his campis inter sinum Tarentinum et Casuentum atque Bradanum fluvios, ad tria milia passuum post Casuenti ostium, sita erat urbs Metapontum sive ut Graecis vocatur *Μεταπόντιον*, urbs olim ditissima et frequentissima, nunc paucis exceptis vestigiis funditus eversa. Iam Pausanias (6, 19, 8) nobis tradit, sua aetate nihil nisi theatrum et murorum ambitus superfuisse; sed et haec evanuerunt, quum quae restabant partim fluviorum limo tecta sint, partim, ut videtur, in usum verterentur ab iis, qui aedificabant castellum gothicum, quod nunc in illis locis conspicitur, Torre di Mare dictum. Hodie nihil superest nisi rudera huc illuc dispersa; in colle aliquo ad dextram Bradani ripam a mari paullo distante quindecim columnae templi alicuius spectantur; locus ille dicitur Tavole dei Paladine; praeterea ad locum, quem appellant Chiesa di Sansone, cernuntur vestigia alius templi, perpauca tamen. Sed has res elegantissime iam exposuit Cl. Dux de Luynes in ornatissimo suo opere quod inscribitur Métaponte, par le duc de Luynes et F. Debacq. Paris. 1833. fol. — Narravit Antoninius [10]), superiore saeculo, quum aliquando altitudo aquarum Bradani valde deminuta esset, in alveo fluvii conspectam esse partem plateae lapidibus quadratis constratae; atque non longe ab urbe anno 1794. repertam esse

---

9) cf. Swinburne I. p. 342 sq.

10) Apud Castaldium: La Magna Grecia, Napoli 1842. 8. p. 81.

tabulam marmoream tradit Castaldius (p. 82), sed ubi asservetur non dicit. Inscriptio in tabula haec erat:

L. NONIVS RVFVS
AEDEM MVSARVM
VETVSTATE DELAPSAM
SVA IMPENSA RESTITVIT.

Dubito vero num haec aedes Musarum sit στενωπὸς ille, ubi Pythagoras vitam extremam degisse fertur et quem Iamblichus (Vit. Pyth. §. 170) a Metapontinis vocatum esse Μουσεῖον tradit: id quod censet Castaldius.

Et haec quidem, praeter fundamenta quaedam aedium privatarum atque fragmenta nonnulla architectonica, omnia sunt quae restant vestigia urbis.

Regio Metapontina Italiam veterem seiungebat ab Iapygia [11]); eadem postea finis erat Lucaniae [12]). Scylax [13]), quum Metapontum et ipsam Heracleam inter urbes Iapygiae numeret, ad ea tempora spectat, quum Lucaniae fines nondum supra Thurios extensi erant, antiqua vero nominis Italiae significatio obsoleta erat; fallitur autem Scymnus Chius (v. 327), qui Metapontum vicinum dicit esse Thuriis et Pandosiae, et magis etiam Dionysius Periegeta (v. 368), qui urbem ponit inter Locros et Crotonem. Monendum est etiam, Augusti temporibus, qui totam Italiam divisit in undecim regiones, Metapontum finem fecisse tertiae, secundum Plinium (N. H. 3, 11, 15); qua divisione Italiae numquam ut videtur usi sunt Romani.

---

11) Antioch. ap. Str. VI. p. 491 A.

12) Str. VI. p. 392 A.

13) Geograph. min. ed. Gail I. p. 243. cf. Niebuhr Röm. Gesch. I. p. 109 sq. ed. 3.

Caput II.

Historia Metaponti.

1.

Antiquissimis temporibus sinus Tarentini litus etiam versus occidentem habitasse videntur Iapyges, quos postea in sola peninsula orientali invenimus. Strabo enim (VI. p. 403. A.) ex Ephoro nobis tradit, Crotonem urbem olim ab Iapygibus fuisse occupatam, neque ita multum a Crotone distat promontorium, quod vocatur *Ἰαπύγων ἄκραι τρεῖς* [1]). Postea ab Oenotris et Chonibus repulsi sunt, qui antea peninsulam inhabitaverant, ubi postea Bruttii sedebant et quae proprie Italia nominabatur; Oenotris ulterius progredientibus etiam Italiae nomen propagabatur, ita ut Antiochi Syracusani tempore Bradanus fluvius finem faceret inter Italiam et Iapygiam, quin nomen Italiae aliquamdiu a Posidonia usque ad Tarentum extensum fuerat. Contra Scylax [2]) Heracleam et Metapontum in Iapygia

---

1) Str. VI. p. 401 B. cf. Mommsen Die unterital. Dial. p. 97.
2) Geogr. min. ed. Gail I. p. 243.

collocat et usque ad Sirim fluvium ab altera parte Lucanos habitare dicit, hi enim Oenotros in regionibus occidentalibus subegerant, Scylax igitur terram inde a Siri fluvio antiquissimo nomine Iapygiam vocat. Ab Iapygibus igitur antiquissimum Metaponti nomen ducendum esse putaverim: Strabo enim ex Antiocho Syracusano [3]) nobis refert urbem Metapontum aliquando dictam esse Metabum, quod barbarum nomen fuisse docemur verbis Stephani Byzantii et Eustathii [4]), qui Metapontum heroem, a quo urbs nominata sit, a barbaris dici Metabum narrant. Servius quidem ad Virg. Aen. XI, 540 etiam Metaponti conditorem Metabum ducem vocat agminis Graeci: sicut et Messapum, a quo Messapia dici ferebatur, ex Boeotiae regione prope Anthedonem in Iapygiam venisse putat, quum Pausanias (10, 10, 6), et iure quidem, Messapos barbaros vocet, id est Pelasgos [5]). Idem Metabi nomen ut regis Privernatis Virgilius (Aen. XI, 540) et Hyginus (fab. 252) memorant: quam fabulam ex antiquis Italorum historiis eos sumpsisse iure iam monuit Heynius in Excurs. II ad Aen. l. c. Qua re confirmari videtur sententia illa, Metabum esse barbarum nomen, et herois et loci cuiusdam; heros fortasse ex loci denominatione fictus demum est.

---

3) Antioch. ap. Str. VI. p. 406 C.

4) Steph. Byz. s. v. *Μεταπόντιον* et *Καυλωνία*; Eustath. ad Dionys. Per 368.

5) Non ita a verisimilitudine abhorrere videtur quod suspicati sunt Mommsen l. c. et Grotefend (Zur Geogr. u. Gesch. v. Alt-Italien II, p. 12), Metabum nomen cohaerere aliquo modo cum Messapo.

Fuerunt quidem qui Metabi nomen ex Graeco sermone interpretarentur; legimus [6]) enim fabulam aliquam, Metabum ita nominatum esse, quia boves, quos Hercules a Geryone ceperat, sit secutus: Herculem scilicet isto tempore ad Alybantem, patrem Metabi, devertisse et tum puerum natum esse. Quam etymologiam nullo modo veram, imo inventum cuiusdam grammatici esse puto, licet vir doctissimus Dux de Luynes eam amplecti videatur [7]). Attamen non plane negligenda erit narratiuncula ista, quae in mentem nobis reducit id quod tradit Eustathius [8]), urbem illam Homericam, unde Ulixes se venisse ait, Alybantem, a nonnullis pro Metaponto habitam esse. Grotefend [9]) hoc nomine Elymos significari censet, attamen accepta etiam hac interpretatione quaeritur, quomodo factum sit, ut hoc nomen ad Metapontum urbem transferretur, quum Elymos in orientales Italiae partes venisse vix probabile sit. Verisimile videtur, Alybantem fuisse heroem aliquem indigenum; alii Metabi patrem eum faciebant, alii eius nomen ad urbem Homericam transferebant. Mirum in modum in memoriam nobis redigit hoc nomen daemonem istum Temesanum, qui Lybas sive Alybas dicebatur [10]), et mon-

---

6) Etymol. M. s. v. *Μέταβος*.

7) In Nouv. Ann. de l'Instit. archéol. Paris. 1836. I. p. 383 sqq.

8) Ad Odyss. 24, 403. cf. etiam Schol. ad h. l.

9) Z. Geogr. u. Gesch. etc. IV. p. 3.

10) Vid. Strab. VI. p. 392 C. Paus. 6, 6, 3. 4 (ubi Lybas legitur) Suid. s. v. *Εὔθυμος* (ubi Alybas); Dux de Luynes in Nouv. Ann. l. c. p. 440 sqq. Utrum vero *Ἄλυβας* et *ἄλιβας* eiusdem vocis formae sint, ut censent Dux de Luynes l. c. et

tem Alibanum prope Peteliam oppidum, non multum distantem a Crotone. Num ex his rebus colligere possumus, etiam Alybantis esse nomen Iapygicum? Accedit quod in Temesa oppido, quod ab Ausonibus quidem conditum esse fertur, Thoantem cum Aetolis invenimus, qui urbem capiebant, sicut Metaponti et Thuriis alterum Aetolicum heroem habemus, Diomedem, qui ibi ut deus colebatur (Schol. Pind. Nem. 10, 12): ut taceamus de Diomede multarum urbium Italiae conditore, quo nihil aliud significatur, quam incolas istarum regionum Italiae, Iapyges, Messapios, omnino populos semigraecos, cognatos se habuisse populis hellenobarbaris Graeciam septentrionalem incolentibus [11]). Pro certo tamen non dixerim, quid statuendum sit de fabulis, quae feruntur de Alybante heroe et urbe; Metabi autem nomen fuisse barbarum teneo. Idem conspicitur etiam in numo quodam Metapontino, quem adhuc omnes rei numariae periti pro genuino ceperunt, cum inscriptione ΜΕΤΑΒΟ, sive est nomen urbis sive herois Metabi [12]). Hunc enim

---

R. Rochette (Monum. inéd. p. 424 sq.), necne, pro certo dicere non ausim; ad sensum quidem quod attinet apte quadrant verba.

11) Niebuhr Röm. Gesch. I. p. 41 sq. ed. 3. Mommsen l. c. p. 92.

12) Mionnet Descript. I. n. 571. Luynes Métaponte p. 29. Millingen Considérations sur la numismatique de l'ancienne Italie p. 23. vid. Carellii Num. Italiae vet. tab. CCII ed. Cavedonius, tab. 150, n. 49. 50, quo opere copiosissimo, nuperrime demum huc perlato, propter temporum angustias non ita, ut cupiebam, uti mihi licebat; Metaponti numi recensiti sunt pag. 78—85.

et Graeci colebant eique heroum conditum erat (Str. VI. p. 406 C.). Sed tamen hoc antiquissimum et genuinum urbis nomen Graeci advenae permutabant haud ita multo post coloniam conditam in formam Graeco sermoni magis convenientem et quasi etymologiam Graecam praebentem. Barbara forma *Μέταβος* fuisse videtur, ex qua Graeci faciebant *Μεταπόντιον* urbis nomen, a quo Metapontum heroem fingebant; *Μετάποντον* enim ut urbis nomen non nisi apud seriores auctores, Auctorem de mirabilibus auscultationibus, Themistium, Tzetzem, reperitur, quum Romani semper uterentur forma Metapontum, numquam dicerent Metapontium. Comparari quodammodo possunt tales formae quales Taras — Tarentum, *Σιποῦς* — Sipontum, *Μαλόεις* — Maleventum, aliae, quas quum in reliqua Italia inferiore tum in iis regionibus invenimus, ubi Messapica dialectus valebat [13]). Vestigium antiqui nominis Metabi reperit Od. Muellerus (Gött. Gel. Anz. 1836 p. 37) in glossa Hesychii: *μετάβολοι· πραγματευταί· καὶ Μεταποντῖνοι παρὰ Ἰταλοῖς*, qua duae glossae coaluisse videntur, quarum una *μετάβολοι· πραγματευταί* nihil commune habet cum altera, quae ad Metapontinorum nomen barbarum spectat.

Itaque Metabum locum fuisse censemus, ne dicamus urbem, a barbaris, et Iapygibus quidem ut vi-

---

13) Cf. Niebuhr I. p. 55 not. 148. Mommsen l. c. p. 73. Erravit autem Salmasius (Exercit. Plin. I. p. 64), quum *Μετάποντον* omnino Graecam formam esse negat: comparare licet *Δύσποντον* a quo *Δυσπόντιον* nomen accepit (Steph. Byz. s. v.). Mazocchi (ad tab. Heracl. p. 100) sueto more Metaponti nomen a Chaldaica quadam voce derivat.

detur, habitatum, qui, quum a Graecis occupatus esset, aliquamdiu nomen suum retinebat, quod sensim demum, licet antiquissimis temporibus, mutatum est in *Μεταπόντιον*. Constat quidem in universum, Graecos in deducendis coloniis fere semper novas urbes condidisse neque iam habitatas occupasse; attamen non desunt exempla, etiam aliter eos egisse et maxime quidem in Italia atque Sicilia: ibi de Tarento simile quid narrat Strabo (VI. p. 427 A.), de Crotone idem auctor (VI. p. 403 A.), et Pandosiam veterem Oenotrorum regiam urbem dicit (VI. p. 393 C.); omnino in his coloniis Graeci ab indigenis non eodem modo separati erant atque in aliis regionibus, quas occupaverant.

2.

Sed iam existit quaestio de colonis Graecis, qui istum locum occupabant, unde venerint et quando coloniam condiderint. Auctores, quos imprimis sequi debemus, sunt Strabo et quos laudat Antiochus Syracusanus et Ephorus, Justinus; minus graves sunt Auctor de mirabilibus auscultationibus, Eustathius, alii, qui tamen omnes nihil fere certi nobis ea de re tradiderunt.

Metapontum inter antiquissimas Magnae Graeciae colonias habitum est, origo urbis, si missam facimus illam de Alybante urbe fabulam, vulgo ad tempora Iliaca refertur. A Pyliis, qui cum Nestore ab Ilio redierant et tempestate ab eo distracti erant, conditam esse urbem tradiderunt Strabo (VI. p. 406 A. coll. V. p. 340 B.) et Velleius (I, 1): non quidem ab ipso Nestore sed a comite eius; quis vero hic fue-

rit dici non potest, quum nomen eius cum initio totius operis Velleii interciderit. Coniecturae quidem de eo nomine factae sunt a viris doctis, nec tamen ulla apta est, neque operae pretium est novam aliquam fingere [14]). Hanc Metaponti originem arguebant, ut putabatur, inferiarum ritus Neleidis olim quotannis a Metapontinis persoluti [15]). Attamen nihil aliud hac re probatur, quam Metapontum aliquo modo cum Pylo urbe cohaerere: fortasse aliquot gentes Pyliae Metaponti habitabant, quae Neleidarum cultum secum tulerant [16]). Neque aliter se habet alia fabula, quam nobis servavit Justinus (20, 2), qui urbem ab Epeo conditam esse refert; Metapontini enim in templo Minervae ferramenta ostentabant, quibus Epeus equum *δούριον* fabricatus esse ferebatur. Eadem haec narratio esse videtur atque ea, quam refert Auctor de mirab. auscult. c. 116: circa Lagariam urbem, sed non ita multum a Metaponto templum esse Minervae Eileniae, ubi Epeus ferramenta sua dedicaverit [17]). A Strabone

---

14) Vid. Interpp. ad Vell. 1, 1. Nec de Metabo nec de Epeo cogitari posse iam Heynius observavit (Opusc. acad. II. p. 207). Solinus quoque (c. 8) de colonia Pyliorum loquitur.

15) Strabo VI. p. 406 A. *σημεῖον δὲ ποιοῦνται τῆς κτίσεως τὸν τῶν Νηληΐδων ἐναγισμόν.*

16) O. Mueller in Gött. Gel. Anz. 1836. p. 37.

17) Legendum ibi videtur cum Bergkio V. Cl. (Prooem. schol. hibern. Marburg. $18^{50}/_{51}$ p. V) *περὶ δὲ τῆς Ἰταλίας τὴν καλουμένην Λαγαρίαν*, ubi vulgo *περὶ δὲ τὴν Ἰταλίαν τὴν καλουμένην Καλαβρίαν*, ut correctum est pro *Γαργαρίαν* codd. mss. Minervae cognomen vulgo legitur *Ἑλληνίην*, quod secundum Etym. M. p. 298, 26 mutandum est in *Εἰλενίην*, cf. etiam Niclas. ad Auct. de mir. ausc. l. c. — Lycophron (v. 948) de Lagaria

Epeus conditor Lagariae nominatur atque omnino fabulae de hoc heroe per eas regiones divulgatae fuisse videntur; in eo loco, ubi Grumentum situm fuisse putant, gemma inventa est, qua Epeus fictus est ferramenta manibus tenens [18].

Hae sunt quae de Metaponti origine mythica narrantur fabulae, quae vero non maioris momenti sunt, quam ceterae, quae de heroibus Troia redeuntibus et colonias in Italia condentibus feruntur historiae. Fieri quidem poterat, ut iam mythicis illis temporibus aliquot Graeci hoc illove modo in eas regiones deferrentur: sed dispergebantur et longo temporum intervallo incolis indigenis plurimi intermiscebantur, atque eo quidem facilius, quod partim iis cognati erant. Quum postea maiores Graecorum catervae illuc pervenirent et urbes conderent, vestigia fortasse illorum repererunt, et quo maiorem urbium suarum gloriam facerent, earum originem in tempora Troica referebant. Iam si de historicis Metaponti conditoribus deque tempore, quo condita sit urbs, quaerimus, nihil certi traditum invenimus ab auctoribus nisi ab Eusebio, qui urbem conditam esse refert Ol. 1, 3 (774 a. Chr.), ita ut praeter Cumas antiquissima Graecorum in his regionibus colonia sit. Consentit Syncellus (p. 400 ed. Dind.) Eusebium sequutus. Idem una cum Metaponto Pandosiam conditam esse dicit: qua tamen re nihil

---

urbe eamdem atque Justinus historiam tradit et Minervam vocat Myndiam. —

18) Avellino in Bull. archeol. Napol. 1845, T. III, p. 123. tab. 3. n. 17. — Epei caput in numis inveniri putat Cavedonius l. c. p. 85, tab. 159, n. 194. 195.

concludi posse videtur de populis, qui has urbes condiderunt, nihil saltem de historicis conditoribus. Non autem assequor cur Grotefend V. Cl. (Z. Geogr. u. Gesch. etc. IV. p. 23) Eusebii traditionem impugnet: quod attinet ad Metapontum pro vera haberi poterit, donec certissimae rationes eam falsam esse demonstrent [19]. Etiam si Syncellum sequimur res eodem fere redit. Syncellus enim ex more suo non accuratissime tempus definivit, posuit autem Metaponti originem inter tempus, quo florebat Arctinus Milesius, h. e. circa Ol. 1, et quo Aminocles primam, ut dicit Syncellus, Athenis triremem construxit, qui secundum Eusebium, ex quo haud dubie hausit etiam haec Syncellus, eam construxit circa Ol. 4, 3, licet re vera circa Ol. 19 vixerit, ut sequitur ex Thuc. 1, 13 [20].

Jam videamus de conditoribus. Strabo (VI. p. 406 C.) ex Ephoro tradit Daulium Crissae tyrannum conditorem esse Metaponti. Sed quis fuerit hic Daulius tyrannus Crissae, plane ignoramus, neque enim a quoquam praeterea commemoratur. Sin autem huius narrationis auctorem animadvertimus, non contemnenda videtur Muelleri sententia [21], Ephorum his verbis omnino incolas Crissae et Daulidis urbium significasse, quum causa non sit, cur cum Grotefendio (l. l. II. p. 42) hanc traditionem omnino negemus contendamusque, ab Ephoro aliorum de Locris Epizephyriis a

---

19) Clinton Fast. Hell. I. p. 152. Mueller Dor. II. in tab. chronol. Wachsmuth Hell. Alterth. II. in tab. chronol. Fischer Griech. Zeittafeln p. 62.

20) Cf. Wachsmuth Hell. Alterth. II. p. 381.

21) Dor. I. p. 264. Gött. Gel. Anz. 1836. p. 37.

Locris Ozolis conditis traditionem in hanc de Daulio Metaponti conditore narrationem depravatam esse. A Crissa vero et Daulide urbibus non multum distat Panopeus, Epei urbs: itaque non est mirandum Metaponti etiam fabulam de Epeo inveniri: Epeum autem Phocensem diversum esse ab Epeo filio Endymionis, Elidis rege, tenendum erit contra VV. DD. Ducem de Luynes et Millingen [22]. Neque minus recte indicavit Mueller, hanc coloniam imprimis cum Delphico oraculo, quod eo tempore in Crissaeorum potestate erat, cohaerere, cui a Metapontinis aurea aestas (χρυσοῦν θέρος) donata sit (Str. VI. p. 406 A), quia servi fuissent dei. Utrum cum his Phocensibus Pylii quoque venerint an postea, dici non potest. Verisimilis autem est sententia eiusdem viri clarissimi, Boeotos aliquot cum Phocensibus appulisse, qui secum tulerint fabulam de Melanippa captiva [23]), Boeoti et Aeoli matre, quum alio modo vix possit explicari, quomodo factum sit, ut hanc fabulam talem in modum Metaponti receptam inveniamus. Asius quidem poeta (ap. Str. l. c.) huc pervenisse Melanippam negans ad Dium quemdam eam venisse cecinerat; alii vero Euripidem imprimis sequuti Melanippam in has terras transferebant ad Metabum sive Metapontum heroem, quem postea Sisyphi filium fingebant: qua quidem ratione id factum sit vix explicari potest, nisi sequi placet sententiam Ducis de Luynes (Nouv. Ann. I. p. 384), qui Sisyphum

---

22) Dux de Luynes in Nouv. Ann. I. p. 388. Millingen in Transact. of the roy. society of liter. Lond 1829, I. p. 146.

23) Hygin. fab. 186, vid. Welcker Die griech. Trag. II. p. 850 – 860.

a Mercurio in orcum reductum, quum puniendae uxoris causa ad superos reversus in tartarum redire nollet, comparans cum Alybante, inferno heroe, ab Euthymo Locrensi athleta, ut fertur, victo, istam de Sisypho Metabi patre fabulam non nisi alteram illius de Alybante patre Metabi formam esse censet. Ceterum camdem fere fabulam Diodorus narrat (4, 67), ita tamen ut, quae Euripides de Melanippa tradidit, de Arna, cuius aviam fingit Melanippam, referat [24].

Ex iis, quae adhuc exponere conati sumus, id certum effici videtur, Metapontum conditum esse a commixtis Graecorum catervis, imprimis vero a Phocensibus. Sed hisne advenis annumerandi sint Aetoli quoque vel adeo primi conditores sint vocandi, id quod censebant plurimi recentiorum, non omnino affirmari poterit. Imo licebit pauca contra hanc sententiam ingeniosam quidem admonere. Auctor imprimis exstitit Millingen V. Cl. Fundamentum totius rei numi aliquot sunt, qui Acheloum fluvium prae se ferunt, et inter eos prae ceteris pulcherrimum didrachmum, in quo legitur *ΑΧΕΛΟΙΟ ΑΘΛΟΝ*, literis quidem priscis quadratis sed stylo imitationis, quod ponitur a viris doctis circa Ol. 82 (a. Chr. 450) [25].

---

24) Arnae caput cornibus arietinis ornatum in numis Metapontinis conspici putant Dux de Luynes (in Nouv. Ann. I. p. 388) et Panofka (in: Annali del instit. 1847, Tom. 19. p. 222 sq.) Caput autem, quod ex vase fictili attulit Panofka, Medusae potius, quae cum luna cohaeret, esse putaverim.

25) Vid. hunc numum apud Millingen Ancient coins etc. p. 17, cf. eumdem V. D. in Transact. of the roy. soc. of lit. 1829, I. p. 142 sqq., Duc. de Luynes Métaponte tab. I. p. 25 (coll. Nouv. Ann. I. p. 386).

Hic numus quid significet dubitari non potest, ipsa inscriptio nos docet spectare eum ad ludos a Metapontinis numini illi celebratos. Cultus Acheloi apud Metapontinos etiam alii numi testimonium afferunt, unus imprimis nuper publicatus a Fiorellio [26]), ubi eadem fere Acheloi species apparet; eumdemque ad Acheloum alii numi Metapontini referendi erunt, quibus Minotaurum repraesentari olim putabant viri docti [27]). Constat Acheloum in compluribus Graeciae regionibus iisque remotissimis cultum esse, velut Athenis, apud Dymaeos, apud Rhodios et in Sicilia (Schol. Il. 24, 616), in Megarensi loco quodam qui Rhus vocatur (Paus. 1, 41, 2), alibi; apud Acarnanes etiam ludi ei celebrabantur (Schol. Il. l. c.): num omnibus his locis colonias Aetolicas esse contendere possumus? Difficillimum quidem est explicare qui factum sit, ut in omnibus his locis Acheloi cultum inveniamus; sequi tamen licet Ephorum (fr. 27. p. 122 Marx.) et Schol. Il. l. c., qui tradunt, iussisse oraculum Dodonaeum omnes, qui ipsum consuluissent, Acheloo sacrificare. Praeterea Acheloum omnino praefuisse ludis gymnicis ipse Osann V. Cl. ex Philostrato (Heroic. p. 678) demonstravit. Idem vir doctus ad sententiam de Aetolis Metapontinis firmandam attulit locum Pausaniae (6, 19, 8), qui tradit, Metapontinos Olympiae statuam Endymionis, pa-

---

26) Monete inedite dell' antica Italia, Nap. 1845, p. 21. tab. I, 10.

27) De hac re cf. Osann in Kunstblatt 1831 p. 61 sqq. et vid. Eckhel Doctr. Num. vet. I. p. 154. Neumann. Pop. et reg. numi ined. p. 8. Mionnet Descr. I. p. 161. n. 584, quibus addendus fortasse Mionnet Supplém. I. n. 679.

tris Aetoli a quo Aetolia nomen accepit, dedicasse, quod eos fecisse propter originem suam Aetolicam censet vir doctus: sed eodem, puto, iure dixerit quispiam, statuam a Metapontinis positam esse in honorem ipsorum Eliorum, sicut Athenis statuae Minervae erigebantur a peregrinis in Atheniensium honorem. De Diomede Aetolos in Italiam deducente et Metaponti atque Thuriis culto iam antea monuimus, neque, si quae disputavimus de origine nominis Metaponti Italica probari possunt, opus est in auxilii locum adhibere Metapa oppidum Aetolicum apud Polybium (5, 7) commemoratum. Accedit hoc quoque, quod omnino de coloniis ex Aetolia tempore historico deductis nihil praeterea notum sit. Itaque id saltem negandum erit, in condenda urbe primum locum obtinuisse Aetolos, etsi non omnino obstarem ei sententiae, cum Phocensibus etiam ex adiacentibus regionibus colonos venisse; malim quidem aliter explicari posse originem illius cultus.

3.

Licet memoria primae originis Metaponti obscurissima sit, tamen hoc satis clarum est, inter antiquissimas Magnae Graeciae urbes eam esse numerandam. Nec tamen diu floruit nova colonia, interiit, ignoramus qua de causa. Dirutam quidem aliquando fuisse urbem docent verba Antiochi (ap. Strab. VI. p. 406 A) *ἐκλειφθέντα τὸν τόπον ἐποικῆσαι κτλ.*, quaeritur autem de tempore quo factum sit. Fieri possit, ut huc spectent verba Strabonis antecedentia *ἠφανίσθη δ' ὑπὸ Σαυνιτῶν*. Ipsa Antiochi verba tali interpretationi non repugnant et plerique eam sequuti sunt;

exsistit tamen difficultas aliqua. Qui haud dubie intelligendi erunt, Lucani, Samnitica stirpe oriundi, non ante Ol. 96 (a. Chr. 396) in litus sinus Tarentini advenerunt [28]), neque si statuamus, eo tempore, quo Samnites Campaniam occupaverint (c. Ol. 90), Lucanos quoque contra Magnae Graeciae urbes expeditionem suscepisse, res multum mutatur. Quare si illam interpretationem sequimur, ponamus necesse est, Samnites [29]) iam multo ante quam sedes firmabant ad sinum Tarentinum, incursiones fecisse in illas regiones, id quod per se quidem non abhorret a verisimilitudine, quum Bradani cursum sequentes, qui fontem habet in ipsorum montibus, Metapontum facile opprimere potuerint. Talis fere videtur fuisse etiam sententia Ducis de Luynes (Métaponte p. 8); praeferenda tamen videtur altera explicatio, iam a Cluverio [30]) proposita et suscepta ab interprete Franco-Gallico Strabonis atque a Millingenio [31]). Hac ratione verba ἠφανίσθη δ' ὑπὸ Σαυνιτῶν trahuntur ad praecedentia, quibus Neleidarum inferias affert auctor, quae cessabant fortasse, quum urbs, ut pleraeque Magnae Graeciae urbes, aliquamdiu in Lucanorum potestatem transiisset, ita ut ad seriora tempora spectet ea sententia, de quibus Strabo VI. p. 389 B. dicit: νυνὶ δὲ πλὴν Τάραντος καὶ Ῥηγίου καὶ Νεαπόλεως

---

28) cf Niebuhr Röm. Gesch. I. p. 97.

29) Paullo vehementius Mannert (Geogr. d. Gr. u. R. IX, 2. p. 231) Σαυνιτῶν nomen mutavit in Χώνων, neque magis probabilis est coniectura Schilleri (De reb. Thur., Gott. 1838. p. 27) Δαυνιτῶν, qui remotiores erant.

30) Cluv. Ital. ant. p. 1278.

31) Millingen Considérations sur la numismatique etc. p. 21.

ἐκβεβαρβαρῶσθαι συμβέβηκεν ἅπαντα, καὶ τὰ μὲν Λευκανοὺς καὶ Βρεττίους κατέχειν, τὰ δὲ Καμπανούς· καὶ τούτους λόγῳ, τὸ δ᾽ ἀληθὲς Ῥωμαίους.

Locus per aliquod tempus desertus iacuit, incolae in adiacentes regiones discessisse videntur. Tandem Sybaritae, locum quasi claustrum totius fertilissimae Siritidis gravioris momenti esse intelligentes et inimicitiis contra Tarentinos commoti, urbem restituere conati sunt. At Tarentini locum iam occupaverant: itaque Sybaritae ipsorum viribus diffidentes ex Achaia colonos arcessiverunt. Rem nobis tradit Strabo ex Antiocho Syracusano 32): locum desertum Achaeorum quosdam occupavisse, qui ab Achaeis Sybarim incolentibus arcessiti fuissent; arcessitos autem fuisse ob Achaeorum, qui e Laconica expulsi fuerant, in Tarentinos odium — quippe qui genere Spartiatae erant —; factum hoc esse a Sybaritis eo consilio, ne Tarentini utpote vicini illum locum invaderent; quumque duae essent urbes in regione, quae interiacebat inter Sybarim et Tarentum, Metapontum vero propius urbi Tarento 33), a Sybaritis persuasum esse iis, quos evocaverant, ut Metapontum occuparent: quo si potirentur Siritidem quoque totam esse habituros, contra vero, si in Siritidem se verterent, fore ut

32) Strabo VI. p. 406 A.

33) Locum Strabonis prius impeditum optime sanavit Coray, qui legit: δυεῖν δ᾽ οὐσῶν πόλεων, τοῦ δὲ Μεταποντίου ἐγγυτέρω τοῦ Τάραντος ὄντος κτλ., id quod partim a codd. firmatur. Kramer: δυεῖν δ᾽ οὐσῶν πόλεων, τοῦ Μεταποντίου ἐγγ. τοῦ Τάρ. legit et inserenda putat post ἐγγυτέρω: τῆς δὲ Σειρίτιδος ἀπωτέρω.

Tarentini a latere imminentes Metapontum suum facerent. Interiectis nonnullis Strabo addit, sed quo auctore non dicit, manare etiam aliam famam, ab Achaeis ad eam coloniam denuo deducendam missum esse Leucippum quemdam, qui quum locum illum ad diem et noctem precario quasi a Tarentinis — qui scilicet illum iam occupaverant — obtinuisset, reddere eum noluerit, interdiu reposcentibus respondens, se etiam ad insequentem noctem petiisse locum atque impetrasse, noctu vero ad imminentem diem. Constat igitur, urbem restituisse Achaeos, qui aut locum desertum occupaverunt, aut iam occupatum a Tarentinis surripuerunt iis dolo aliquo ducis, qui a patria civitate missus erat: cives enim coloniarum, quum novas colonias deducere vellent, nonnumquam a patria urbe vel civitate quum colonos tum ducem petebant [34]), et talis quidem dux Leucippus erat. Mirum in modum cum hac de Leucippo Metaponti conditore congruit narratio quam reperimus apud Dionysium Halic. [35]) de Leucippo quodam Lacedaemonio, qui eodem dolo Callipolin occupasse dicitur. Attamen hanc historiam falso a Metaponto, de qua urbe pervulgata erat, ad illud oppidum Tarentinorum translatam esse suspicamur; in numis certe Metapontinorum Leucippi caput, culti fortasse ut herois, habemus [36]).

Haeserunt viri docti in prioris loci Straboniani verbis τῶν ἐκπεσόντων ἐκ τῆς Λακωνικῆς, quae verba

---

34) cf. Hermanni Staatsalterth. §. 74, 8.

35) Dion. Hal. Exc. Vatic. l. XVII. (tom. IV. p. 264 ed. Tauchn.)

36) Eckhel Doctr. Num. I. p. 156. Mionnet Descript. I. n. 579. 580. Supplém. I. n. 682.

Heynius [37]) eiicere voluit, utpote a male sedulo adscripta, aut saltem transponere, ut legeretur ἐποικῆσαι τῶν Ἀχαιῶν τινὰς τῶν ἐκπεσόντων ἐκ τῆς Λακωνικῆς. Nec tamen quidquam eiusmodi opus est. De Achaeis quidem ex Laconica expulsis, saltem de eorum posteris cogitandum est. Constat per longius tempus post Doriensium invasionem Achaeos nonnullas urbes in Laconica tenuisse atque non multum ante primum bellum Messenium expulsos demum esse [38]). Eorum pars aliqua in Achaiam migravit, ubi Patrae urbs ab iis condita est [39]). De his vel eorum liberis, ceteris Achaeis, a Sybaritis arcessitis, adiunctis, si cogitamus difficultas tolli videtur neque mirum est, diserte commemorari odium in Tarentinos, quod Sybaritis, qui et ipsi ex Achaia originem ducebant, commune erat cum advenis. Achaeorum coloniam memoravit etiam Scymnus (v. 326).

De tempore restauratae urbis certum aliquid constitui non potest. Heynius [40]), qui vulgarem de eversione per Samnites opinionem adoptavit, Metapontum restauratum putat post Ol. 83, 4. (a. Chr. 447) itaque a Thurinis conditum esse censet: atqui disertis verbis ab Antiocho refertur, a Sybaritis, non a Thurinis, Achaeos esse invitatos [41]). Idem valet contra

37) Heyne Opusc. Acad. II. p. 210.

38) cf. Hermann Staatsalterth. §. 18, 15.

39) cf. Paus. 7, 6, 2, laud. a Muellero Dor. I. p. 91.

40) Opusc. II. p. 210.

41) Errorem movit fortasse Liv. 25, 15: „Metapontini ad Hannibalem defecere; hoc idem Thurini fecerunt; movit eos non Tarentinorum magis defectio Metapontinorumque, quibus

sententiam R.-Rochettii[42]), qui in eo quoque errat, quod Daulium ad haec tempora refert, quum Crissa deleta sit Ol. 47, 3 (590 a. Chr.)[43]). Iam quum necesse sit, ut de Sybaritis accipiamus verba Antiochi, plerique qui hanc rem attigerunt, Metapontum dirutum esse statuerunt inter Ol. 70—75 (500—480 a. Chr.) et restauratum ab iis Sybaritis, qui restitutam Sybarim incolerent, h. e. inter Ol. 81, 4 et Ol. 83, 1 (453—448 a. Chr.)[44]). Sed antiquioribus temporibus urbem desertam et restauratam esse ut censeamus, movent nos etiam vestigia, quae nobis praebet res numaria Metaponti. Inter antiquissimos Magnae Graeciae numos Metapontinorum sunt numerandi: quibus docemur, Metapontum Achaicam urbem fuisse tempore valde antiquo, fortasse iam Ol. 25 (c. 680 a. Chr.), ut censet Millingen (Considérat. p. 22): ad medium saltem saeculum septimum a. Chr. referre licet vastationem Metaponti et sub finem fortasse eiusdem saeculi restaurata est urbs a Leucippo. Quod tempus etiam cum aliis rebus convenit, ut postea videbimus.

---

indidem ex Achaia oriundi, etiam cognatione iuncti erant." Similiter Liv. 26, 39 Sybarim nominat Thuriorum loco.

42) Hist. des col. Grecques IV. p. 38 sq.

43) Hermann. §. 13, 6. — Multo etiam minus assequor, cur Micali (Italia av. il dom. dei Rom. III. p. 244) rem ad Archytae tempora retulerit: certas causas non attulit.

44) Grotefend Z. Gesch. u. Geogr. etc. IV. p. 33. 39. Lorentz Vet. Tarent. res gestae p. 8. Ullrich Rer. Sybarit. cap. selecta p. 26. Th. Mueller De Thurinorum republ. p. 26.

4.

Non diu otium erat novae coloniae. Tarentini indignantes hoc modo sibi ereptam Siritidem cum Oenotris supra adiacentibus coniuncti arma ceperunt contra Metapontinos [45]), quod bellum referimus ad finem saeculi septimi a. Chr. [46]). Metapontini tamen fortiter resistebant neque subiecti sunt. Pace, quae facta est, limites constituti sunt inter duas civitates simulque inter Italiam Iapygiamque. Dubitare quidem licet utrum Tarentini partem agri sui amiserint an Metapontini, non enim distincte loquitur Strabo; trans Bradanum flumen etiam postea Tarentinorum fines numquam prolati sunt. Nec tamen ullo modo concedi potest neque ex hoc Strabonis loco sequitur quod voluit Mazocchi [47]), Sybaritarum fines usque ad Bradanum sese extendisse; loquitur Strabo sive Antiochus de Achaeis, novis Metaponti incolis, sed de Sybaritis tacet.

Civitas ex hoc bello celeriter refecta est et adiuti fertilitate agri sui, quem diligenter colebant, Metapontini, sicut omnino ceteri Italiotae, qui ex Achaia originem ducebant, Sybaritae imprimis, Cauloniatae, Crotoniatae, mox potestatem atque divitias assequuti sunt. Documentum rerum florentium donarium illud erat, quod deo Delphico mittere solebant, χρυσοῦν θέρος vocatum, quod imaginem fuisse messis ex auro factam probabile est [48]). Qui mos transiisse videtur a

45) Strabo VI. p. 406 B. ex Antiocho.

46) cf. Niebuhr Röm. Gesch. I. p. 65.

47) Mazocchi ad tab. Heracl. p. 109.

48) Doctissime de ea re disseruit Rathgeber in Ann. de l'instit. archéol. 1843, T. 15. p. 46 sqq.

prioribus coloniae incolis, quorum haud dubie multi in novam urbem recipiebantur. Omnino urbes, quae inde ab origine cum Delphis tam arte cohaerebant, talia θέρη χρυσᾶ eo mittere solebant: idem narratur de Myrrhina et de Apollonia ad Adriaticum mare sita.

Cum ceteris Achaicis urbibus coniunctum fuisse videtur Metapontum; cum Sybaritis et Crotoniatis foederatos invenimus Metapontinos, quum hae urbes, quae iam in fastigio potestatis suae erant, pellere ceteros Graecos Italia totamque Magnam Graeciam in suam ditionem redigere statuebant. Iam vidimus, quaenam fuerint Sybaritarum consilia de Siritide, quum Achaeis Metapontum ut occuparent persuaserint; neque ab his consiliis destiterunt. Una cum sociis urbem Sirim aggressi sunt eamque ceperunt. Incoluerunt Sirim, quae antea Chonum urbs fuerat[49]), eo tempore Iones Colophonii, qui eo pervenerunt circa Ol. 25 (a. Chr. 680) fugientes Lydorum imperium, qui tum Gyge regnante Colophonem occupaverant. Iones vero Asiaticae vitae iam assueti in his fertilissimis regionibus, quarum amoenitatem Archilochus iam cecinerat[50]), luxuriae et mollitiae se dederant: itaque coniunctis trium urbium copiis resistere non poterant. Auctor qui nobis est totius rei, Iustinus (20, 2), de tempore, quo gestum sit hoc bellum, parum accurate dicit: »principio originum Metapontini cum Sybaritanis et Crotoniensibus pellere ceteros Graecos Italia statuerunt;« sed quum de origine Metaponti certiores nos non faciat, ad definiendum tempus excidii Siris ista

---

49) Str. VI. p. 405 B. Arist. Polit. 7, 10.
50) Archilochus ap. Athen. 12. p. 523.

verba nihil valent. Auxilium in disquisitione nobis praebebit proelium Crotoniatarum cum Locrensibus, qui auxilium tulerant oppugnatae urbi: est haec infelicissima illa pugna ad Sagram fluvium commissa. Tempus huius cladis, cui Siris deleta paullo antecessit, recte iam Heynius [51]) constituit ante Ol. 55 (a. Chr. 560), itaque cum eodem viro doctissimo Siris excidium ad Ol. 50 (a. Chr. 580) fere referre licet: quocum tempore verba Iustini apte conveniunt, siquidem originem Metaponti vel potius urbem restauratam ad medium fere saeculum septimum a. Chr. constituere possumus. Urbes victrices propter hoc bellum seditionibus atque peste afflictae sunt: summum enim piaculum commiserant in expugnatione Siris. Quinquaginta iuvenes simulacrum Minervae amplexi sacerdosque deae inter ipsa altaria trucidati sunt. Ob haec quum peste et seditionibus vexarentur, priores Crotoniatae Delphicum oraculum adierunt. Quum responsum esset, finem mali fore, si violatum Minervae numen et interfectorum manes placassent, Crotoniatae statuas iustae magnitudinis fabricari coeperant; Metapontini autem cognito oraculo iuvenibus modica et lapidea simulacra ponunt et deam paneficiis placant. Atque ita utrobique pestis sedata est. Haec fere Iustinus, quem in hac narratione de duabus tantum civitatibus esse loquutum animadvertendum est; sed id negligentiae epitomatoris tribui possit. Neque eam ob causam totam rem historicam esse negaverim, quod Iustini narratio plane conspirat cum ea, quam de Siri, Chonum urbe, ab Ionibus diruta tradit Strabo

---

51) Opusc. Acad. II. p. 184.

VI. p. 405, aut quam Lycophron (v. 983) ad mythica tempora retulit de Crotoniatis, qui Troes adiuvissent in Iones saevientes: sed haec Ionum colonia ante tempora Iliaca mera est fictio. Haud dubie omnes hae fabulae ex historica illa, quam servavit Iustinus, de expugnatione Siris ortae sunt [52]. Terra Siritis divisa videtur inter vicinas duas civitates, Metapontum et Sybarim, quum Croto remotior esset [53], atque inde ab hoc tempore fines agri Metapontini usque ad Acalandrum fluvium, qui postea etiam finis erat agri Heracleensis, porrectos esse suspicamur, quamquam pro certo dicere non possumus [54]. Ipsam vero urbem Sirim non habebant in potestate Metapontini, id quod ex eo quoque consequi videtur, quod non implicati erant in contentionibus, quae seriore tempore valebant de Siri urbe inter Tarentinos et Thurinos, in Sybaritarum potestatem succedentes. Monendum hoc quoque est, illud bellum originem videri dedisse fabulae de Siri uxore Metaponti regis, quam Metapontus in urbem eiusdem nominis dimitteret, quum Melanippam vel Arnam in matrimonium duxisset [55], atque hinc etiam error Eustathii (ad Dion. Per. 368) et Stephani By-

---

52) cf. quae de hac re exposuit Klausen Aeneas und die Penaten I. p. 448 sq.

53) cf. Millingen Considér. p. 38. Aliter Heynius (Opusc. II. p. 185), qui agrum Siris in Crotoniatarum ditionem venisse putat, secundum numum aliquem apud D'Hancarville (Recherches sur les arts de la Grèce II. tab. 30 n. 9), quem falsum esse persuasum habeo.

54) Ad has res referre licet historiolam quam narrat Plut. Apophthegm. Lacon. var. XVI. (T. I. p. 287. ed. Paris. 1839).

55) Schol. ad Dion. Per. 481. Eurip. ap. Athen. 12. p. 523 E.

zantii (s. v. *Μεταπόντιον*), prius Metaponti urbis nomen fuisse Sirim, erit explicandus.

Hoc tempore (c. Ol. 55) Magnae Graeciae civitates, imprimis Achaicae gentis, in summo prosperitatis et potestatis fastigio erant: sed haud ita multo post delabi coeperunt. Luxuria et discordiae quum inter civitates tum in singulis urbibus, fortasse etiam barbarorum incursiones rerum statum mutabant. Dolendum autem est, quod de singulis rebus omni scientia destituti sumus, quum Antiochi Syracusani, optimi de historia Italiae inferioris auctoris, interciderint libri. Iam quum miserrimae essent conditiones omnium fere civitatum novae salutis auctor exstitit Pythagoras philosophus, qui circa Ol. 60, 1 (540 a. Chr.) in Italiam venit et Crotonem se vertit, ubi sedem fixit. Longum est atque inutile post tot viros doctissimos de isto viro deque eius doctrina disserere. Exemplo et doctrina Pythagoras tam mores civium reformavit et correxit, quam in rebus publicis restituit veterem optimatium auctoritatem, quae non raro labefactata erat; auctoritas philosophi longe lateque vigebat per totam Magnam Graeciam, in omnibus fere civitatibus discipuli eius summum imperium tenebant, atque urbes denuo florebant. Quarum ex numero Metapontum quoque erat [56]), quam urbem Pythagoras ipse saepius visebat; variae de eius in hac urbe dictis factisque referuntur narrationes ab auctoribus. Quin etiam a nonnullis non Croto sed Metapontum semina-

---

56) Dicaearch. ap. Porphyr. vit. Pythag. §. 57. (ἡ περὶ *Μεταπόντιον σύστασις*), cf. omnino Krische De societatis a Pythagora — conditae scopo politico, Gott. 1830, p. 87.

rium Pythagoricum habitum esse videtur: quae tamen sententia probanda non est [57]). Per triginta fere annos Pythagorae auctoritas viguerat atque Magnae Graeciae urbes veterem splendorem nactae erant, quum omnia collapsa sunt. Capta enim a Crotoniatis Sybari (Ol. 67, 3. a. Chr. 510) quum plebs distributionem agri Sybaritani postularet, optimates vero omnem sibi vindicarent, Cylone, homine quidem nobili sed ob malam indolem in societatem Pythagorae non suscepto, maxime instigante odium contra nobiles et contra Pythagoreos eorum amicos erupit [58]). Pythagoras ipse iam paullo ante quam aperte erupit insectatio Crotonem reliquerat [59]) et primum in Caulonio portu vitam servavit: inde ad Locrenses se contulit, qui quum eum recipere nollent, Tarentum navigavit. Illic vero quum idem ei accideret quod Crotone — ubique enim iam seditiones concitabantur — Metapontum aufugit. In Metapontina factione diem obiit ad Musarum aedem confugiens et per quadraginta dies omni cibo abstinens [60]). Plenis venerationis oculis, Valerius Max. dicit (8, 7, ext. 2.), Metapontum ardentem eius rogum aspexit: oppidum Pythagorae quam suorum cinerum nobilius clariusve monumento. Cicero quoque, quum quodam tempore Metapontum venisset, ipsum illum locum, ubi Pythagoras vita decessit, sedemque vidit [61]); quam sedem a Metapontinis Cereri consecratam esse

57) Krische l. c.

58) cf. expositionem Krischii p. 93 sqq.

59) cf. Krische p. 97.

60) Aristox. ap. Iambl. §. 249. Dicaearch. ap. Porphyr. §. 56. Iustin. 20, 4.

61) Cic. de fin. 5, 2.

tradunt nonnulli[62]); quod idem alii de Crotone referunt. Obiit autem Pythagoras circa Ol. 69 (c. 504 a. Chr.)

Incredibili furore per totam Magnam Graeciam in Pythagoreos eorumque amicos saevitum est; in omnibus fere urbibus primores occisi sunt; nam ne intra Crotonem quidem sese continebant motus, sed Tarentum, Metapontum, ceteraeque Italiae urbes eodem velut morbo affectae sunt. In tanta omnium rerum turba consilium ceperunt Crotoniatae in iudicium vocandi, qui fuga vitam servaverant. Delectis tribus civitatibus, Tarentinis, Metapontinis, Cauloniatis, permissum est arbitrium. Qui missi sunt ad causam explorandam pecunia, Cylonia scilicet, corrupti decreverunt, reos in exilium eiiciendos esse[63]). Tali modo per multos annos civitates demagogiae et anarchiae deditae erant, neque mirandum est, in nonnullis tyrannos exstitisse. Crotone Clinias quidam servorum latronumque ope potentiam arripuit[64]), et Metaponti quoque tyrannus exstitit, qui occisus est ab Antileonte quodam, cuius amatum puerum offenderat[65]). Ex omni fere Graecia legati missi sunt in Italiam, qui pacem conciliarent: nec tamen ullis nisi Achaeis uti civitates volebant; quorum ope cum exsulibus in gratiam redierunt[66]). Haec imprimis de Crotoniatis narrantur ab Iamblicho, sed dubitari non potest, quin ad ceteras quoque urbes

62) Iamblich. §. 170. Diog. Laert. 8, 15.

63) Iamblich. §. 262.

64) Dionys. Excerpt. l. 19 (tom. IV. p. 287 ed. Tauchn.), laud. a Micali Ital. av. il dom. etc. III. p. 186.

65) Ad hoc enim tempus referenda erit narratio ap. Plut. Amator. c. 16. Aristot. Ethic. Eudem. III, 1. p. 1229 a, Bekk.

66) Polyb. 2, 39. Iambl. §. 263.

referenda sint. Atque aliquanto post, ut refert Polybius (l. c.), Crotoniatae cum Sybaritis et Cauloniatis ad Achaeorum exemplum foedere facto communes conventus et concilia ad Iovis Homarii templum instituerunt et ad Achaeorum morem communi consilio agebant de rebus communibus; iisque etiam aliae civitates se adiungebant, inter quas fuisse Metapontum quoque probabile fit numo quodam Crotonis et Metaponti, quem ad hoc tempus retulerim[67]). Factum esse hoc foedus suspicamur aut paullo post Ol. 80, 3 (a. Chr. 458), postquam nova Sybaris restituta est, aut post Thurios iam in Sybaritarum locum deductos (Ol. 84, 8. a. Chr. 444), quos cum Crotoniatis amicitia et foedere iunctos fuisse narrat Diodorus[68]); et hoc quidem verisimilius videtur esse.

Belli, quod paullo post inter Thurinos et Tarentinos ortum est de Siritide, Metapontini participes non erant, cuius rei causam ignoramus; probabile est eos diuturnis internis dissensionibus nimis etiam tum debilitatos fuisse. Quod quidem bellum eo modo finitum est, ut Siritim communiter incolerent Tarentini et Thurini, illorum tamen haberetur nova colonia Heraclea, quae eo deducta est (Ol. 86, 4. a Chr. 433)[69]). Cum novis vicinis Metapontinos amicitiam instituisse

---

67) Numus est ap. Fiorelli Osservazione etc. tab. II. n. 7. pag. 62.

68) Diod. 12, 11. Heyne Opusc. II. p. 189, qui tamen utramque rem confudit.

69) De hoc bello cf. Diod. 12, 23. Str. VI. p. 405 C. Heyne l. c. p. 239. Th. Mueller De Thuriorum republ. p. 27 sq.

docent numi, in quibus Metaponti et Heracleae nomen legitur [70]).

5.

Quum fortasse de his rebus paullo uberius disputatum a nobis sit, iam celeriter progredi licet, quum perventum sit ad tempora, in quibus fata Metapontinorum expedita sunt, ut de iis minus sit laborandum. Civitates Magnae Graeciae quamquam non capessiverant partem belli Persici, quippe quibus intestinis malis iam afflictis hostes propinquiores imminerent, societatem belli Peloponnesiaci evitare non poterant. Pars enim propter cognationem Lacedaemoniis favebat, pars Atheniensibus. Tamen quo tempore priorem Athenienses in Siciliam faciebant expeditionem, Rhegini soli et Locrenses, hi Syracusanorum, illi Leontinorum partes sequuti, belli participes erant. Ceterae civitates, licet tam Athenienses quam Lacedaemonii, ut eas sibi conciliarent, annisi essent, suis commodis consulentes neutri parti opem ferebant; neque aliter faciebant, quum Athenienses iterum magna classe Siciliam petierunt. Inde explicandum, quod Metapontum, Thurii, Croto Ol. 91, 2 (a. Chr. 415) aquam tantum et stationem iis concesserunt, Tarentum et Locri ne haec quidem, quodque Rhegini, quamvis essent amici Atheniensibus, in urbem eos non receperunt, sed de ope ferenda communiter cum reliquis

70) Vid. Ducem de Luynes Métaponte tab. I, p. 29. Micali Italia etc. tab. 60. n. 4 coll. Tom. III. p. 206 not. Mionnet Suppl. T. I. p. 300. n. 675. Cavedonius tamen (l. c. p. 79) magistratus nomen significari putat.

Italiotis agere se velle dixerunt [71]). Quae Italiotarum concordia firma non erat: in nonnullis civitatibus qui Atheniensium causae favebant vicerunt, itaque Eurymedon et Demosthenes novas copias in Siciliam ducentes a Metapontinis quoque et a Thurinis auxiliares acceperunt; Metapontini duas triremes et trecentos hastatos miserunt, ex foedere, ut addit Thucydides [72]): quod foedus fortasse ictum erat ab Eurymedonte hieme Ol. 91, 3 cum decem navibus in Siciliam proficiscente. Post ingentem Atheniensium cladem per reliquum belli tempus Metapontini quieti pacatique fuisse videntur, quum Thurini postea vel ipsis Lacedaemoniis navibus suis opem ferrent.

Finito bello Peloponnesiaco iam nova Italiae imminebant pericula a parte Siciliae: Dionysius enim Syracusarum tyrannus bellum Magnae Graeciae intulit, Rheginos aggressus. Ortum est hoc bellum Ol. 96, 3 (a. Chr. 393), quo anno quicunque Graeci Italiam incolebant contra tyrannum et contra Lucanos, quorum tunc coeperunt incursiones, foedus icerunt [73]) aut vetus illud renovarunt, et conventum communem instituerunt. Metapontum ab ipso Dionysio etiam tum erat tutum; sed maius ei instabat periculum quum Lucani Ol. 97, 3 (a. Chr. 390) Thurios oppugnarent,

---

71) Thucyd. 6, 44. Diod. 13, 3.

72) Thuc. 7, 33. 57.

73) cf. Diod. 14, 91. — Inimicos habebat tyrannus imprimis Pythagoreos, si quidem ad maiorem Dionysium referenda sunt, quae narrat Iambl. §. 189 sq. Polyaeni narratio (5, 2, 22), ab aliis aliter exhibita (cf. Iambl. §. 234 ibique Interpp.) ad Dionysium minorem spectat. Cf. Lorentz Vet. Tarentin. res gestae, Elberfeldae 1838. p. 18. not. 2.

quod tum quidem avertebatur, quum interposita fide Leptinis, Dionysii fratris, pax cum barbaris, qui Graecos coniunctos atrocissima pugna vicerant, composita sit [74]).

A Dionysio quidem morte tandem liberati sunt Graeci, eiusque filius amicitiam cum iis, etsi specie magis quam reapse, instituit: et a Lucanorum quoque incursionibus aliquamdiu liberi fuisse videntur, quum his ipsis Bruttiorum seditione hostes intestini exstiterint et contra Dionysium minorem bellandum esset. Conversio rerum publicarum, qua Timoleon, qui in Siciliam navigans ad Metapontum quoque appulit [75]), Siciliam a Syracusano tyranno liberavit, etiam Italiotis libertatem servavisset, nisi Lucani Bruttiique fuissent. Qui quum incursiones suas renovarent, Tarentini, quorum civitas tum prima erat inter Italiotas quorumque multum intererat ne barbari ulterius progrederentur, mortuo praestantissimo duce Archyta, qui septies eorum στρατηγὸς semper victor discesserat, bono duce ipsi carentes Archidamum Spartae regem ex ipsa Graecia evocabant, qui fortiter pugnans contra hostes in primo proelio occisus est (Ol. 110, 3 a. Chr. 338). Barbari quum iterum iterumque irrumperent, a Tarentinis in auxilium vocatus est Alexander Epiri rex, qui multas urbes ex hostium manibus eripuit, postremo tamen, quum inimicitiis cum Tarentinorum plebe su-

---

74) Diod. 14, 101. 102.

75) Diod. 16, 66. Circa hoc tempus ponas etiam narrationem de Pharsalia saltatrice occisa a Metapontinis iuvenibus in tumultu propter ipsam exorto, ap. Athen. 13. p. 605. C. Plut. de orac. Pyth. c. 8.

sceptis suo Marte bellum gereret, ab exsule quodam Lucano necatus est; ossa eius Metapontum sunt delata, qua cum urbe foedus amicitiamque fecerat (Ol. 112, 2. a. Chr. 331)[76]). Hoc tempore quum meliore fortuna uterentur Metapontini non ita multo post novum irrupit malum. Cleonymus enim Spartanus, quo duce Tarentini Lucanos vicerant, iratus quia Metapontini ipsum non adiuvissent, eorum urbem coniunctus cum Lucanis, quibuscum pax composita erat, oppressit pessimeque incolas habuit, Ol. 119, 3. a. Chr. 302[77]). Metapontum etiam tum satis locupletem fuisse urbem vel eo demonstratur, quod Cleonymus plus sexaginta argenti talenta ab incolis extorsit. Inde ab hoc tempore barbari sine dubio magnum momentum in urbe habebant, eo facilius quum a cultura Graeca atque ab usu linguae Graecae nequaquam abhorrerent.

Iam vero per aliquantum temporis Romani imperium suum in has regiones proferre coeperant; quum denique totam Italiam inferiorem in suam redigerent potestatem, Metapontum quoque eiusdem atque Tarentum sortis particeps factum est. Defecerunt Metapontini post Cannensem cladem ad Hannibalem, sed quum ipse in Bruttium agrum se recipere coactus esset,

---

76) Liv. 8, 24. Iustin. 12, 2. Micali Italia III. p. 246 sqq. Tempus belli mortisque regis recte constituisse videtur Lorentz Vet. Tarent. res gestae p. 21. Num ad hoc tempus cum Heynio (Opusc. II. p. 206 not.) referre licet numos in quibus legitur *ʽΗΡΑΚΛΕΙΔΩΝ* (Magnan Lucan. num. tab. 35. n. 10. tab. 37. n. 5), qui fortasse in honorem Alexandri Molossi signati sunt? Dux de Luynes (Métap. p. 28) contra de nomine magistratus cogitavit.

77) Diod. 20, 104. Athen. 13. p. 605 D.

Metapontinos, civitatem universam, excitos sedibus suis secum traduxit [78]). Urbs denuo frequentata, aut a redeuntibus incolis aut a novis, in Romanorum ditionem venit. Postremo urbs quondam nobilissima in bello servili a Spartaco oppressa et terribili strage devastata est [79]). Vetus prosperitas iam diu labefactata tum omnis fracta est et urbs magis magisque corruit. Pausaniae tempore plane vasta desertaque iacebat, nihil nisi murorum ambitus et theatrum vidit periegeta. Summo iure dicere potuit Dio Chrysostomus [80]): *Κρότων δὲ καὶ Θούριοι καὶ Μεταπόντιοι καὶ Τάρας ἐπὶ τοσοῦτον ἀκμάσασαι καὶ τηλικαύτην ποτὲ σχοῦσαι δύναμιν ποίας πόλεως οὐκ εἰσι νῦν ἐρημότεραι;*

---

78) Liv. 27, 51.

79) Heyne Opusc. II. p. 212. Flor. 3, 20. Oros. 5, 24. cf. De Brosses in Mém. de l'Acad. des Inscr. T. 37. p. 37.

80) Dio Chrysost. T. II. p. 459 ed. Emper.

Caput III.

Antiquitates Metapontinae.

§. 1.

De rebus publicis.

In Magnae Graeciae urbibus, sicut in omnibus fere circa octavum et septimum saeculum a. Chr. deductis Graecorum coloniis, ab initio aristocratia erat, primorum advenarum posteri omnes magistratus tenebant; qui postea adveniebant minora iura accipiebant, ita ut a suffragiis ferendis magistratibusque gerendis exclusi essent. Eaque sine dubio Metaponti quoque reipublicae forma erat, quum omnes eius copiae in ea re niterentur, quae ubique aristocratiae maxime favebat, in fundorum possessione et agricultura. Itaque imperium primis temporibus in eorum manus pervenit, qui et divitiis et generis nobilitate, ab ipsis conditoribus oriundi, excellebant; sed haud ita multo post maior civium pars ita divitiis aucta est, ut penes divites reipublicae gubernacula esse inciperent. Qua quidem re forma reipublicae ex oligarchia in timocratiam est mutata. In his autem timocratiis summa po-

testas penes partem civium, maiorem tamen, esse solebat, quae senatum mille virorum efficiebat: eligebantur hi χίλιοι secundum censum ex ditissimis, quorum numerus et ipse ex censu constituebatur. Quos χιλίους in multis, Italiae praecipue et Siciliae, civitatibus fuisse reperimus, velut Rhegii, Crotone, Agrigenti, Locris [1]). Tales timocratias per maximam Italiae partem fuisse probabile est eo tempore, quo Pythagoras eo pervenit [2]); eodem autem tempore, ut fieri solet in civitatibus rei navali deditis, crescente paullatim in immensum incolarum multitudine, quum liberalissime undecumque advenas, qui quidem minora iura acciperent, urbes reciperent [3]), exortae iam erant contentiones inter populum et eos, qui imperium tenebant. Pythagoras auctoritate et disciplina sua veterum nobilium iura non modo restituit, sed firmavit amplificavitque, ita ut per triginta fere annos hic rerum status permaneret. Philosophi auctoritatem Metaponti quoque maximam fuisse iam antea vidimus. Quae posteaquam seditiones illae, quae post Pythagoreos expulsos ubique exardebant, oppressae sunt forma fuerit reipublicae Metapontinae non amplius liquet, quum ne de hoc quidem tempore quidquam nobis relatum sit. Metapontinos iis se adiunxisse Italiotis, qui respublicas ad Achaeorum exempla moderabantur, valde probabile est, quippe qui et ipsi maxima ex parte Achaica gente oriundi essent. Quae si ita sunt,

---

1) cf. Hermanni V. Cl. Staatsalterth. §. 88, 2.

2) cf. Hermann. l. c. §. 90, 2, et quae, de Crotone maxime, disputavit Krische l. c. pag. 15 – 22.

3) cf. quae de Sybari imprimis dicit Diod. 12, 9.

rationem civitatis, in qua populi imperium limitibus satis circumscriptum erat, institutam esse verisimile est; talem enim Achaicarum civitatium formam fuisse ex iis, quae de hac re nobis tradita sunt, apparere videtur, quamquam singulas res accuratius definire non possumus. Quae seriore tempore mutabant Italiotae, ea non ipsorum consilio et voluntate sunt facta, sed cogentibus Dionysio tyranno et circumiacentibus barbaris (Polyb. 2, 39).

Gravissime autem dolendum est, quod de singulis magistratibus Metapontinorum nihil fere nobis traditum sit; unus tantum Hesychius (I. p. 195) memorat nomen quoddam: *ἀκροαστῆρες· ἀρχή τις παρὰ Μεταποντίνοις*, quo nomine eos appellatos esse existimo, qui causas audiebant.

§. 2.

De cultu.

Inter deos a Metapontinis maxime cultos primum locum tenet Apollo, cuius cultus iam primis urbis temporibus ex ipsis Delphis eo perlatus est. Mittebantur ei *χρυσᾶ θέρη* illa, qui mos et cum fertilitate agrorum Metapontinorum, ad quam referenda sunt animalia quoque Apollini sacra, quae in numis iuxta spicam conspiciuntur, imprimis locusta et mus, et cum fabula de Apolline ab Hyperboreis cum matura frumenti spica redeunte cohaeret [1]); quem mythum Metaponti pervulgatum fuisse ostenditur etiam veneratione, qua Aristeam illum fabulosum colebant Meta-

1) Mueller Dor. I. p. 285. ed. 1.

pontini, cui prope ipsius dei signum in foro statuam posuerant, adstantibus lauris ex aere factis, Apollini sacris [2]), quibuscum deus apparet etiam in numis Metapontinis (*δαφνηφόρος*), galea, ut videtur, tectus, una manu arcum sagittasque altera laurum tenens aut in ara ponens [3]). Ceterum etiam ut *κιθαρῳδός* fingitur deus in pulcherrimo numo a Fiorellio publicato [4]).

Iovem, cuius caput laureatum saepius occurrit in numis [5]), Iovem Homarium esse suspicamur, ad cuius templum conventus Italiotarum celebrabantur. Colebatur etiam Iupiter Ammon, ut apparet ex numis; utrum tamen ex ipsa Libya eo translatus sit an ex Elide, ut putant Eckhel et Dux de Luynes [6]), dubitari licet. Pulcherrima statua Iovi Olympiae posita erat a Metapontinis, opus Aristonoi Aeginetae, cuius tamen tempus Pausanias ipse, qui (5, 22, 4) huius statuae mentionem facit, ignoravit; tenebat deus una manu aquilam altera fulmen, caput eius coronatum

---

2) Herod. 4, 15. Athen. 13. p. 605 C. — Templum dei commemoratur a Plut. de orac. Pyth. c. 8. cf. etiam Mueller Dor. I. p. 264. 269.

3) Mueller Dor. I. p. 337 n. c. Eckhel D. N. I. p. 155. vid. T. Combe Vet. pop. et reg. num. Tab. III, n. 14. cf. Mionnet Descr. I. n. 608. Supplém. I. n. 690. 691. 694. 705.

4) Fiorelli Monete inedite p. 21 sq.

5) Mionnet Descr. I. n. 609. Suppl. I. n. 678. vid. T. Combe l. c. p. 39. n. 9. Fiorelli l. c. p. 21 tab. III, 5, qui Dodonaeum esse censet.

6) Eckhel D. N. I. p. 155. Dux de Luynes Métap. p. 27. coll. tamen Nouv. Ann. de l'Inst. I. p. 388, ubi numos, in quibus Iovis Ammonis iuvenis caput apparet, ad Arnen refert V. Cl.; vid. Magnan. Lucan. num. tab. 39. n. 11. Mus. Hunter. p. 201. n. 39. tab. 37, 22.

erat floribus vernis [7]), qui aut summam dei vim verno tempore cerni demonstrarent, aut aliam quamdam rationem symbolicam indicarent.

Similiter ad symbolicam rationem referendum est cognomen Mercurii εὔκολος [8]), quod, quum ad eius celeritatem vix referri possit, utrum de benefico deo inferno, qui segetes e terra tollit, an contra de malefico deo, ad quam sententiam ducere possit Hecatae cognomen εὐκολίνη [9]), intelligendum sit, pro certo dicere non possumus. Contra παιδοκόρου [10]) nomen, quo idem deus colebatur, sine dubio ad gymnasiorum antistitem spectat.

E Stephano Byz. [11]) discimus Bacchum, cuius

---

7) Retinenda enim videtur optimorum codd. lectio ἄνθη τὰ ἠρινά, quae a recentioribus Pausaniae editoribus mutata est in ἄνθη τὰ κρίνα, id quod denuo defendit Schubart in Zeitschr. f. d. Alterth.-Wissensch. 1847. p. 229 sqq.; nam etsi difficile est dictu quinam imprimis flores verni dicendi sint in istis terris, tamen sicut ἔαρ opponitur τῷ θέρει etiam flores verni iis opponuntur, qui seriore tempore florescunt; ex scriptorum numero apud poetas quidem imprimis, veluti Hom. Il. 2, 471 et ex Latinis Hor. Carm. 2, 11, 9, talia legimus, neque tamen eos ita loquutos esse crediderim, nisi re vera de floribus diversis ab aestivis cogitassent.

8) Hesych. s. v. (I. p. 1510).

9) Etym. M. s. v., allatum ab interpp. Hesych.

10) Hesych. s. v., laud. a Iacobi Handwörterb. d. Myth. s. v. Hermes. — Numos cum capite Mercurii ap. Mionnet Descr. I. n. 593. 595. Suppl. I. n. 716; quorum is imprimis est memorandus, in quo legitur ὄβολος, quem vid. ap. Carellium l. c. tab. 159, n. 182.

11) Steph. Byz. s. v. Ἀκρώρεια, ubi Meineke V. Cl. iure in textum recepit, Casauboni coniecturam sequutus, nomen Bacchi

caput etiam in numis invenitur, ἐριφίου cognomine a Metapontinis cultum esse; cuius comitis quoque, Sileni, caput in numis cernitur. In iisdemque Solis quoque imaginem habemus [12]).

Ex dearum numero prae ceteris Ceres nominanda est, auctor frugum omnisque opulentiae civitatis Metapontinae, quare etiam cognominata est Σωτηρία, nisi alia fuit causa huius nominis, quo alias Proserpina appellatur, quam nos ignoramus. Cereris imago omnium saepissime in numis occurrit.

Plinius (N. H. 14, 1, 12) nobis tradidit de templo Iunonis columnis vitigeneis, quod sine dubio de columnis vitibus vestitis intelligendum est; ceterum persuasum habemus fuisse Iunonem Laciniam, quae iam inter antiquissima harum regionum numina habenda est cuiusque ad templum celeberrimum Italiotae πανηγύρεις habere solebant [13]). Diana autem Metapontina, cuius mentionem facit Hyginus [14]), utrum ex ipsa Achaia eo translata sit antiqua Peloponnesiorum dea, an sit soror Apollinis Delphici, pro certo dicere non possumus; neque de Minerva [15]) constat, unde

---

12) Bacchi caput ap. Mionnet. Descr. I. n. 564. 598. Suppl. I. n. 688. — Silenus ap. Eckhel. Num. Vet. anecd. p. 39. Mus. Hunter. p. 203. n. 45. Mionnet. Suppl. I. n. 714. — Sol ap. Mionnet. Suppl. I. n. 704, quo in numo, ut in aliis nonnumquam, spicae loco tria hordei grana conspiciuntur.

13) Athen. 12. c. 58. cf. Hermanni V. Cl. Gottesd. Alterth. §. 68, n. 12.

14) Hygin. fab. 186, vid. etiam Mionnet Suppl. I. n. 706.

15) Heyne Opusc. II. p. 206. not. Mionnet. Descr. I. n. 589 sqq. Suppl. I. n. 685. 710. Cavedonius l. c. p. 83 sq. tab. 156, n. 126—142 et tab. 159, n. 179—181.

eius cultus Metapontum venerit; fieri possit, ut ab Atheniensibus tempore belli Peloponnesiaci receperint; probabilius tamen est Tarentinorum esse typum a Metapontinis commercii causa receptum (Cavedonius l. c. p. 83, 1. cf. p. 81, 2). Memorandum etiam est, Victoriae caput in numis inveniri, Musas autem in urbe cultas esse, quum narratio Dicaearchi de Pythagorae morte, tum inscriptio, quam superius attulimus, docent[16]).

Inter heroes Dioscuri et Hercules, quos in numis reperimus, Tarento sub Cleonymi temporibus translati Metapontum esse videntur[17]), quum aliorum heroum cultus, Metabi, qui ἡρῷον habebat, et Neleïdarum, quibus inferiae celebrabantur, ad antiquissima tempora urbis spectant, sicut divinus cultus Diomedis. De ludis in Acheloi honorem institutis deque eorum origine incerta disputatum est; quaeritur utrum fuerint *ἀγῶνες ταλαντιαῖοι*, an unus tantum numus praemii loco datus sit; et illa quidem Muelleri sententia est[18]), praeferenda tamen videtur altera, quae est Millingenii et Osanni[19]), qui simile quid Syracusis inveniri dicit; fortasse etiam ipsam numi inscriptionem ad hanc sententiam probandam afferre

---

16) Victoriae caput Eckhel D. N. I. p. 155. Mionnet Descr. I. n. 565. — De Musarum cultu Dicaearch. ap. Diog. Laert. 8, 21. cf. Krische l. c. p. 97. Inscriptionem videas supra c. I. p. 8.

17) cf. Duc. de Luynes Métap. p. 28. Hercules in numis ap. Mionnet. Descr. I. n. 601. Cavedon. p. 83, tab. 157, n. 150.

18) Mueller Handb. d. Archaeol. §. 403, 2.

19) Millingen in Transact. of the roy. soc. of lit. I. p. 146. Osann in Kunstbl. 1831. p. 63.

licet, quum opus non fuisset, si fuissent ἀγῶνες ταλαντιαῖοι, ut numus tam singularis signaretur; attamen in aliis numis, in quibus quin Achelous repraesentetur dubitari non potest, nihil legitur.

§. 3.

Res privatae.

Quum de ceterarum urbium Magnae Graeciae vita moribusque satis multa nobis sint relata, de Metaponto altum est silentium; neque de mercatura Metapontinorum constat, quas potissimum regiones, Graeciae an aliarum terrarum, navibus petierint, praeter Crissam et Siciliae urbes, Syracusas, Gelam, Agrigentum, de quibus urbibus fortasse tale quid colligi potest ex numis, qui ad istas urbes pertinentes Metapontinorum signo denuo signati sunt [1]). Delphis autem praeter notissimum χρυσοῦν θέρος multa eorum dona votiva reperiebantur, quae recensentur ab Athenaeo (11 c. 59), itemque Olympiae praeter Iovis statuam in thesauro suo Endymionis statuam posuerant, cuius tamen artificem non nominat Pausanias (6, 19, 8).

Restat, ut breviter commemoremus perpauca ea, quae de literarum cultura apud Metapontinos cognita habemus. Stephanus Byz. [2]) mentionem facit Philonis alicuius poetae et tibicinis, de quo tamen nihil praeterea compertum habemus; dubitari enim licet num idem sit cuius mentionem facit Athenaeus [3]).

---

1) Mionnet Descr. I. p. 237. n. 238; tab. 58, 8. coll. p. 36 eius voluminis. Dux de Luynes in Nouv. Ann. I. p. 389.

2) Steph. Byz. s. v. Μεταπόντιον.

3) Athen. 15. p. 697 B.



Contra inter Pythagoreos non pauci sunt, qui Metapontini vocantur ab auctoribus quorumque nomina recenset Iamblichus [4]): plurimi tamen aut alioquin plane ignoti sunt obscurique, aut omnino ad Pythagoreos non pertinent [5]).

---

4) Iambl. V. Pythag. §. 267. cf. etiam Fabricii Bibl. Gr. I. p. 828 sqq. ed. Harless.

5) cf. Ritter Cl. V. Gesch. d. pythag. Philos. p. 58 sqq.